

cipium motus actiuum, alij vtroque modo volunt formam esse naturam: Probant verò hi posteriores hoc modo: formæ conuenit definitio naturæ, ergo forma est natura, quod enim causat motum primo & per se: est principium motus, sed forma causat motum primo & per se, probatur: Informatio est quidam motus: sed forma causat informationem in materia, ergo & motum: deinde forma est operatiua, omne autem operatiuum est causatiuum motus, ergo &c. Item forma est principium motus passiuu, nam quod est subiectum alterius rei, dicitur esse principium motus illius rei, sicut paries dicitur esse principium passiuum alterationis, nempe albedinis, nigredinis &c. Forma autem est subiectum proprietatum, nam in forma v. g. hominis subiectatur risibilitas, in forma equi hinnibilitas, &c.

Forma dicitur natura alio modo apud Scotum, sicut quædam apud alios.

Scotista verò, vt videre est apud citatum Fauentinum, sic explicant, & probant formam esse naturam, notando quod materia non sit principium passiuum motus ratione suæ potentie vniuersalis, quæ dicitur ad omnes formas, sed ratione principij passiuu à forma determinati, quia materia de se non est magis determinata ad motum ad hunc locum, quam ad alium, ideo res naturalis non habet à materia inclinationem passiuam ad hunc locum, & non ad illum; sed à forma: patet hoc in igne, qui aptus natus est ferri sursum, non per materiam, sed per formam ignis, res ergo naturalis habet inclinationem passiuam à materia quidem; sed illa inclinatio determinatur à forma, & hoc modo forma dicitur principium passiuum; quia ipsa est, quæ dat esse tale rei compositæ, & consequenter dat talem, & talem inclinationem passiuam, quia verò hæc inclinatio magis pendet à forma, quam à materia, cum forma determinet rem ad hanc, & illam inclinationem: hinc Aristoteles dicit formam esse magis naturam, quam materiam.

Sic explicatam opinionem Scotistarum probat pluribus Fauentinus. *Primo*: illa est naturalis mutatio, in qua passum mutatur, sicut aptum est mutari: sed nunquam dicitur aptum natum mutari propter principium actiuum, sed propter internum passiuum: *secundo* principia actiuum est extrinsecum, sed natura est principium intrinsecum, ergo &c. *Tertio*: Alioquin saltatio in homine esset motus naturalis, quia actiue est à forma, non est autem naturalis, quia motus sursum non est naturalis homini: Varias alias vide rationes apud citatum Fauentinum, & apud Scaynum in *Miscellaneis cap. 14.*

Item respondet Fauentinus ad quædam argumenta, quæ contra Scotum quoad præsentem materiam affert Zabarella *lib. de natura cap. 5.* & certè maximè probabilem Scoti sententiam reddit Fauentinus tum explicatione, tum probationibus, & ad argumenta responsionibus, & quia anima rationalis suo modo idem præstat circa materiam, & compositum, quod formæ substantiales materiales, ideo anima rationalis tam benè dicitur natura, quam alix formæ substantiales, quidquid velit Simplicius & Albertus quorum obiectiones soluit Collegium Complut: *disp. 7. quæst. 5. S. 3.*

Quòd autem etiam compositum aliquo

modo dici possit natura, sic explicat Fauentinus: reuera natura non est proprie illa quidditas & essentia compositi, quæ resultat ex materia & forma, nam illa est habens naturam, sed quia hæc quidditas habet suam proprietatem, qua inclinatur ad diuersos motus, hæc propensio & proprietates est natura, id est, natura est proprietates & inclinatio essentia rei ad motum & quietem. Vnde natura erit veluti passio substantia Physicæ, & sic omnes essentia, quæ talem proprietatem seu tale principium passiuum motus habent, sunt naturales, materia ergo & forma dicuntur natura, quia constituunt essentiam, & quidditatem compositam quæ habet naturam, id est dictam proprietatem, & inclinationem rei ad motum & quietem. De Bassolis verò citato aduertit, quod licet Arist: 2. *Phys.* non distinxerit naturam nisi in materiam & formam, & ibi negauerit compositum esse naturam, attamen *quinto Metaph.* dicit compositum esse naturam, & hoc etiam confirmat ex communi modo loquendi dicentium, quod humanitas est Natura hominis: item confirmat hoc per descriptionem naturæ datam *secundo Phys.* Vbi dicitur quod natura sit principium motus, &c. nam siue accipiatur principium subiectiuum, siue effectiuum, manifestum est quod toti composito congruat esse principium tale & perfectius. Imò ait de Bassolis, solis compositis quantum ad multa conuenit esse principium tale, & possumus afferre exemplum de igne, non enim materia ignis sursum fertur naturaliter, quia materia prima de se est indifferens ad moueri sursum aut deorsum, neque etiam sola forma ignis, quia cum illa sit materialis, non separari potest saltem naturaliter ab igne, ergo est ipsum totum compositum, quod est principium illius motus sursum.

Obijcies tamen pro opinione communi: natura est principium motus & quietis eius in quo est, sed compositum est in nullo, ergo non est natura. Deinde diuisit Arist: ad quædam naturam in materiam & formam, non faciens mentionem de composito.

Respondeo compositum posse dici in suis partibus esse, non quidem subiectiue, sed constitutiue, sicut domus dicitur esse in tecto, fundamento & parietibus. Aut dic sicut Fauentinus, quod natura sit quædam propria passio compositi, & proinde natura inest composito, quare erit principium motus eius, in quo est, scilicet compositi, cur autem Aristot: non meminerit compositi, dum diuisit naturam in *secundo Phys.*

Respondet de Bassolis citato se nescire, ergo verò existimo id fecisse Aristotelem, quia in *secundo Physic.* loquebatur solum de partibus compositi, seu principijs rerum naturalium, non autem de composito ex illis, quare etià dicit ibi Aristot: *text. 11.* quod autem ex his (scilicet materia & forma) natura quidem non est, sed à natura; hoc autem intellige causaliter & constitutiue, id est, natura quæ est materia & forma causat compositum; at compositum non causat aliam naturam, sed sicutur in eo: sicut licet materia, & forma sint quædam substantia, proinde tamen non desinunt causare aliam substantiam, quæ est compositum, attamen compositum non causat constitutiue aliam substantiam, ita materia,

N. Dicitur quod compositum alio modo dici possit natura.

Obijcies.

708.

tertia,